

absque expressa scientia, & certificatione Receptoris generalis domini Regis, si presens erit aut Locumtenens dicti Receptoris per eum positi, si sit absens: qui unusquisque illorum in suo casu, sint postulati, & convocati ad dictam compositionem vel remissionem, & adhuc Advocatus Fiscalis aut Locumtenens per dictum Advocatum constitutus, & positus in suo officio. Et etiam debeat fieri dicta compositio, & remissio, de & cum consilio sui Assessoris, si fuerit presens, aut sui Locumtenens si erit absens: & quod de consilio dicti Assessoris, & de presentia, & scientia dictorum Receptoris generalis, & Advocati Fiscalis, vel suorum Locumtenentium debeat fieri fides, & mentio in charta, vel alia scriptura qua fiat dicta compositio, & remissionis, & quod Notario consilii dictarum consilii presentia, & scientia antequam fidem faciat, nec ponat in ea carta vel scriptura. Et si aliter fuerit factum sit nullum. Item omnis remissio aut compositio debeat esse signata per Assessorem ordinarium dicti Gubernatoris, aut absente dicto Assessore à civitate vel oppido, ubi facta fuerit & termino illius, debeat esse signata per Locumtenentem dicti Assessoris per eum electum, & constitutum Locumtenentem, cui dictus Assessor dederit potestatem specialem, ad signandas compositiones, & remissiones: & signata per neminem sit nulla ipso foro & facto. Item omnis remissio, aut compositio debet restitui, & expediri per scribam principalem, & alio modo facta vel expedita sit nulla ipso jure facto. Hæc est forma data per forum ad expeditionem concessionis gratiosæ in Curia Gubernatoris, & aliorum inferiorum sub decreto irritanti geminato tot tantisque vicibus; de qua Dominus Crespi, d. obs. 5. numer. 286. qui num. 288. 307. & 311. docet nunquam ceteri gratiam perfectam, neque parti jus 34 questum nisi Privilegio vel litteris in forma debita expeditis, que extenduntur, ad omnes concessionem gratiosas, & justitias, ut pluribus probat, obs. 37. n. 32. cum s. 99. cum autem in hoc casu cuncta 35 deficiant, clarissimè sequitur nullius momenti fuisse chirographum; nam illæ solemnitates ad unguem observantur in omnibus guidaticis concessis; ut est notum, quod clarè liquet ex ipsis decisionibus superius adductis D. Ludovici Peguera, & D. Franc. Hier. Leon: ex quibus colligitur, quod dictus Locumtenens Justitiæ civitatis Alonensis 36 uti privatus agebat chirographum pro-

pria manu scribendo, mediante quo non potuit præstare publicam fidem; quia non ut iudex procedebat, sed ut privatus, ut dixi: & consequenter nullius 37 momenti esse guidaticum asserum; nam ex omissione solemnitatum omnium, & ex taciturnitate Rei per octo dies præsumi poterat confectum fuisse chirographum post capturam, animo liberandi reum per fas, necfalque, quod tolerandum minimè erat.

Ex quibus inferri potest concordia 38 inter Doctores contrarias sententias in hoc articulo tenentes; nam reum reponendum esse in pristinam libertatem, ne sub fide publica decipiatur procedat, quando concessio præ se fert imaginem veritatis, quia expedita reperitur per Judicem habentem potestatem concedendi in simili, & expeditur servata forma Curia. Quando verò expeditur per non habentem ullam potestatem, neque servata forma aliqua apparente, juxta Curia stilum despiciatur tanquam calumniosè facta, vel concessa per privatum, qui non potest publicam fidem præstare: cum in hoc casu cesset ratio illa, ne quis sub ea decipiatur.

Quo ad alia dubia, nempe an præcedere debeat causæ cognitio, vel appellatio admittenda sit, à decreto remissionis, non est cur immoremur: nam causæ cognitio summaria imaginabilis est quo ad duos effectus, nempe ad verificationem identitatis personæ de quo articulo Dominus Crespi, de obs. 74. num. 16. & ad recognoscendum an crimen sit ex contentis in lege, cum ratione aliorum criminum, remissio non procedat, ut docuit Gamma, decis. 179. num. 1. cum autem in nostro casu nulla ex his causis reus juvaretur, clarissimè resultat tradendum illud fore. Quoad appellatorem pariter dicendum est quod stante 40 dubio aliquo, recipi illa debet ex regula generali quam firmavimus, controvers. 2. num. 2. in claris autem cum appellatio frivola sit, toto jure rejicitur, ut dixi, ead. contr. 2. num. 65.

His ad Principem in modum consultationis relatis decreto diei 25. Novembris 1667. fuit Aula responsum quod justum erat Proregi Valentia reum omni replica cessante tradere ministris Aula, quod executioni deductum fuit mediante provisione illius Regiæ Audientia, diei 7. Januarii 1668. 41

& sic adductus ad hanc Curiam & in ea debite punitus.



CONTROVERSIA XI.

De Marito adulterium ulciscente, adulterum & uxorem necando, & de poena ei debita, etiamsi occisus clericus sit sacris initiatus.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species proponitur, & n. 2.
- 3 Conjunctio sanguinis excludit presumptionem adulterii.
- 4 Clericus inventus solus cum femina non presumitur animo adulterium committendi repertum fuisse.
- 5 Necans, clericam, & uxorem ex insidiis, tenetur poena legis Cornelia, sacrilegii, prodicionis, parricidii, & n. 6. & 7.
- 8 Ex lege Romuli marito licebat uxorem adulteram necare.
- 9 Per leges duodecim tabularum idem licebat mariti.
- 10 Ex lege Julia lata per Augustum idem procedebat si adulter esset vilis persona; at non licebat uxorem interimere.
- 11 Lex Julia levissimam poenam imposuit marito adulteros necante.
- 12 Lex Hispania in codice legum fori, necem adulterorum permittit marito, si cut patri.
- 13 Lex Partia marito adulteros necantis poenam levissimam imposuit.
- 14 Leges Ordinamenti & nova recopilationis permiserunt marito adulteros occidere impune, dummodo ambos occidat.
- 15 Permissio legis procedit, etiamsi adulter Clericus sacris initiatus sit.
- 16 Permissio legis procedit si adulteros apprehenderit maritus in ipsa turpitudine.
- 17 Adulterium adeo est difficile probationis, ut directe probari non possit.
- 18 Adulterium probatur indicis & presumptionibus.
- 19 Presumptiones de quibus, in c. litteris, de presumptionibus, non requiruntur copulative ad probandum adulterium.
- 20 Quando qualitates requisite à lege ad DD. Laur. Matthæu, de Re Crim. Pars I.

esse simul non possunt, censentur disjunctivè posita.

- 21 Adulterium comprobatur ex concursu viri & femina in locis secretis.
- 22 Adulterium presumitur si reperiantur soli in locis obscuris.
- 23 Adulterium presumitur si simul reperiantur soli horis nocturnis.
- 24 Lex stili qualificat probationem adulterii, ex eo quod reperiantur in locis concurrente diffamazione hujus criminis.
- 25 Probationes leviores requiruntur ad probandum adulterium, per modum exceptionis & defensionis.
- 26 Masculum & feminam in absitis locis reperiri turpe est.
- 27 Solitudo & diversitas sexuum presumptionem copula inducit.
- 28 Nocturni congressus femina cum viro suspicionem turpitudinis vehementem facit.
- 29 Januis clausis vir & femina si reperiantur, presumitur copula.
- 30 Absentia mariti suspicionem copula confirmat.
- 31 Habitus indecens in clerico mali presumptionem ad fert.
- 32 Solutio caligarum in femina, vel viro indicium est copula.
- 33 Clerici non exuunt passiones humanas.
- 34 Per clericatum non excluditur presumptio adulterii, si solus cum sola concurrant.
- 35 Personarum qualitates augent suspicionem.
- 36 Conjunctio sanguinis in gradu remoto non excludit presumptionem adulterii, si solus cum sola reperiat.
- 37 Causa delinquendi animum delinquentis deiegit.
- 38 Causa respectiva est effectui.
- 39 Ex pluribus causis delinquendi gravior est attendenda.
- 40 Legis permissio non infirmatur ex eo quod adultero occiso, uxor tantum sit vulnerata, si vulnera gravia & lethalia sint.
- 41 Lex parem indignationem exposcit in adulteros.
- 42 Maritus ad occidendos adulteros jure potest convocare consanguineos, & affines.
- 43 Presertim si adulterus validior marito sit.
- 44 Prodicionis crimen quando dicatur commissum secundum leges Hispanie.

45 Inimicum occidens eo pacto, ut possit se defendere, non dicitur proditorie occidisse.

46 Occidens armis suis in Hispania proditorie dicitur occidisse.

47 Deciso Aula condemnans maritum in poenam levissimam.

I OANNES Vecino villa de Daganço, accusabatur de homicidio, sacrilegio, prodicione, & parricidio unico actu patris: is enim suspicabatur non temerarie Annam Mariam conjugem adulterium committere, confuetudinem turpem habendo cum Clerico sacris initiato. Absentiam simulabat prætextu videndi Ludum taurorum qui celebrabatur in uno ex oppidis vicinioribus, die 13. Augusti anni 1662. hora undecimæ noctis ejusdem diei labente, ad propriam domum reverfus comitante Emanuele Fernandez fratre ipsius uterino, per opus topiarum horri penetrando ingressi domum fuerunt. Strepitus explosionum tormentorum auditus, clamores & contentio, janua clausa reperta, & postquam adaperita fuit autoritate Judicis ordinarii, in penetralibus Domus, nempe in impluvio intimiori, ipso horro immediato, reperti fuerunt, Clericum habitu non clericali ictibus arcabufi confossus: & uxor decem & novem pugionis ictibus lethali- ter vulnerata, cujus calcamenta spar- sa erant per humum, juxta cadaver cle- rici arcabufium explosum & ancilla quæ unica erat in remotiori cubiculo domus cum luce, vel abscondita, vel recepta. Quid specialiter evenisset percipi cerro non potuit. Ex relationibus uxoris res- sultabat clericum per illam vocatum, ut maritum rogaret, quod ipsam ad proprios lares restitueret; & dum illum alloque- retur repertam fuisse per maritum, cle- ricum occisum fuisse ab Emanuele, & ipsam à marito lethali- ter vulneratam, fa- tendo pariter causas suspicionis mariti, repetitam confabulationem cum clerico, & apprehensionem clerici in cubicu- lo. Maritus vero, qui post aliquot men- ses sponte comparuit, in confessionibus late retulit causas præsumptionis adul- terii quarum plures comprobatae erant in actis; apprehensionem clerici, & uxoris in ipsa turpitudine, conatum oc- cidendi illum, se tamen ab eo superatum & penè suffocatum, Fratrem à clerico

ictu arcabufi vulneratum fuisse, sed demum clericum ab ipso merito occi- sum, & uxorem animo occidendi vul- neratam.

Ex hac contrarietate tantum resulta- bat certitudo apprehensionis solius cum sola, in tenebroso, & abdito loco, tem- pore nocturno, januis clausis, remotis arbitris, clerico habitu indecenti & in- sueto, & uxore nudis pedibus, atque calcamentis per humum sparsis; qui- bus addebantur vehementia adminicu- la adulterium, comprobantia cum publi- ca diffamacione utriusque. In qua spe- cie dubitabatur quid juris, an maritus tanquam deliberatè, & per insidias cle- rici homicida sacrilegus, & uxoris patri- cida esset puniendus; an verò tanquam minister legis adulterium ulciscens esset absolvendus?

Dicebatur per accusatores ipsum ma- ritum, & clericum affinitate conjunctos esse, & ut tales familiaritatem fovisse, ex quibus & ex clericatu omnes adulterii præsumptiones remansisse exclusas, ac per consequens sacrilegium, & homici- dium prævia deliberacione, atque per insidias patrum fuisse: Quia clericus repertus cum sola ratione perfectionis status non præsumitur convenisse ad turpitudinem, juxta doctrinam Glossæ in cap. absit 11. quest. 3. Alexand. ad Bar- tol. in l. quod ait lex in prin. lit. A. ff. ad leg. Jul. de adulter. Carret. in prax. tract. 3. de homicid. & assass. §. nono excusatur maritus a 13. Malcard. de probat. lib. 1. conclus. 64. num. 6. & lib. 2. conclus. §. 10. num. 13. Farin. g. 136. n. 202. Ex consan- guinitate, similiter excluditur præsum- ptio adulterii per Text. in l. cum hui probilem, C. de Episc. & cleric. ibi in his enim nihil severius existimari, sed- us naturale permittit, l. si his quis, C. ad leg. Jul. de Adulter. docent Graveta, conf. 321. per tot. cum aliis congestis per Farin. d. quest. 136. num. 205. ob quod crimem referebant ad aliam causam, nempe ad inimicitiam recentem ortam inter maritum & clericum, ex ratiocini- nis bonorum Gregorii de Zarzuela pupilli, de quibus inter ipsos tunc ageba- tur, vel conjugii Mariæ Vicino cum Joannes Pos, cujus ratione contentio orta pariter erat. Ex quibus concludebant Joannem teneri poena legis Cornelie de sicariis per text. in l. 1. in prin. ff. eo tit. poena sacrilegii quæ est censura cano- nis ex Text. in c. si quis suadente 17.

9. 4. ubi plura per Doctores, & signan- ter August. Barbosa in Collect. & sexcento- rum solidorum auri ex c. qui Subdiaconum. 17. quest. 4. cui congruit l. 7. tit. 18. part. 1. & ibi Gregor. Lopez, de quibus dixi tom. 2. de regim. cap. 8. §. 8. num. 58. & sequentib. poena proditoris sive alevosi, ex Text. in l. propter insidias, C. qui accus. non poss. l. 4. ff. ad leg. Jul. majest. l. fin. C. de delator. lib. 10. de jure nostro l. 7. tit. 7. lib. 8. ordinari. & ibi Didacus Perez l. 9. & 15. tit. 23. lib. 8. recopilat. ubi Azevedo, latè Anton. Gomez. variarum, lib. 3. cap. 3. num. 5. & ibi Aillon. Et tandem poena parricidii ex his quæ dixi supra controvers. 8. num. 2. cum sequentib. Nam licet uxor non decesserit ex vul- neribus illatis, fuit tamen lethali- ter vulnerata, ob quod teneri, ac si occidisset, est certum, ut dicitur infra contro- v. 13. num. 2. cum segg. quod docuerat Solor. çano de par. lib. 2. c. 16.

Sed contrarium deducebatur ex eo quod omni jure permittum sit mari- tis adulterium morte adulterorum impu- nè vindicare. Jure gentium hæc conclusio procedit, ut docet Jacobus Cujacius in leg. si adulterium cum ince- stu, §. Imperator ad medium, & com- probatur ex eo quod refert Covartu- vias in 2. part. epist. decret. §. 7. in princ. legibus Solonis & Draconis ita cau- tum fuisse, quod pariter, firmavit Pla- to 9. de legibus, & tradit Celius Rodi- gin. lib. 29. lection. antiquar. cap. 18. de Atheniensibus ex Luciano tradit Bar- rol. Sigon. de republ. Atheniens. lib. 3. c. 3. in princ. per leges Romuli ita cautum reperiebatur in leg. ejusd. ibi: Adul- terii convictam vir & cognati nri vo- lent necanto; tradit Balduinus ad leges Romul. in dict. leg. 15. & licet de hoc dubitaret Cujac. in leg. Gracius ad med. Cod. ad leg. Jul. de adulter. tamen fate- tur in dict. leg. si adulterium, §. Imperator in fin. comprobatur Dionys. Alicarnas. lib. 2. antiquit. & Pichar. in §. item lex Julia de adulter. numer. 3. institut. de pub. jud. Anton. Matthæus lib. 48. ff. tit. 3. cap. 3. num. 13. & meminerat Aulus Gel. not. Atticar. lib. 10. cap. 23. Atque Alex. ab Alex. dier. genial. lib. 4. cap. 1. ad si- nem. Ex lege duodecim tabularum idem marito licebat, ut cum Oldendorpio Hothomano, & alios probant Covar- ruy. dict. 2. part. §. 7. numer. 1. (quo verba legis refert ibi: Mæchum in adulterio de- prehensum necato. Don Joannes Vela D. D. Laur. Matthæus de Re Crim. Pars I.

de poen. delictor. cap. 1. num. 32. Sed lege Julia à Divo Augusto lata, vel nulla poena maritus adulterum vilem necans tenebatur, l. marito 24. ff. eo tit. vel saltim levissima si alterius condi- tionis adulter fuisset, l. si adulteriam, §. Imperator, ff. eodem, l. Gracius 4. in princ. Cod. eodem, probant pluribus Farinac. quest. 121. num. 63. cum segg. Jul. Clar. in §. homicidium, num. 49. Anton. Gomez in l. 80. Tauri, num. 51. & dict. cap. c. 3. num. 24. Cabal. cas. 300. num. 5. cum sequent. Giurb. conf. 86. num. 9. Anton. Matthæus lib. 4. 8. ff. tit. 3. cap. 3. n. 19. Mathias Berlichius præct. part. 4. conclus. 27. num. 152. optimè Cujacius in dict. l. si adulterium, §. Im- perator, & in d. leg. Gracius, de quo dixi tom. 2. de reg. cap. 8. §. num. 62. cum segg. & postea Imperator Marcus Ant. Caracalla pepercit omnino poenam eis qui adulteros impatientiâ doloris necassent, ut refert Paulus in fragm. & cum eo Cujac in d. l. si adulterium §. Imperator, & tandem Imperator Majoranus in no- vella de qua Ulpianus in lib. de adulter. maritis expressè permittit adulterum, & uxorem in turpitudine deprehensos oc- cidere uno impetu, ut tradit idem Cu- jac. ubi proximè.

De jure Hispano per leg. 1. tit. 7. lib. 4. in legib. for. permittum est ma- rito, adulteros occidere, ut Montal- vus tenet leg. 7. eodem tit. glossæ en caso. Jure Partitarum ea quæ jure dig- gestorum cauta erant, confirmata sunt, poenam levissimam imponendo l. 14. tit. 17. part. 7. Sed ista varietas ad concordiam redacta est per 7. legem 81. Tauri constitimando dict. l. fori, & per leg. 2. tit. 15. lib. 8. Ordinarum & l. 15. in fin. tit. 13. eod. lib. qua expressè permit- titur sponso, & multo magis marito, uxo- rem, & adulterum in uno deprehensos statim necare quod pariter cautum reperitur per l. 3. tit. 20. lib. 8. recopil. & quantumvis aliqui dubitent de substi- tentia similis legis, quia autumant esse nutritivam peccati, uti temerariam propositionem eam rejicit Julius Cla- rus in dict. §. homicidium, num. 50. & 54. neque ex eo quod intentio mariti pec- caminosa sit, lex redditur invalida, cum poenam imponendo gravissimo crimini justa decernat, & maritum constituat executorem poenæ ipsius, ut probat Plaça in epitom. delict. cap. 36. num. 13. prop. fin. Vel quia lex indulgens poenam ex justo dolore & atrocissima

injuriam, non debet reprobari, quia lex civilis non tenetur omnia peccata in exteriori foro punire, ut docet Covarr. d. §. 7. n. 13. & 15. in fin. Ex quibus hanc conclusionem firmarunt idem Covarr. d. §. 7. n. 1. & Gregor. Lopez in l. 13. tit. 17. p. 7. Didac. Perez. in d. l. 2. Gloss. si el esposo los fallare en uno. Azevedo in d. l. 3. n. 17. Ant. Gomez in d. l. 80. n. 51. vers. hodie tamen. Vela d. c. 1. n. 36. & Don. Valenzuela conf. 144. n. 1.

15 Quæ quidem procedunt etiam si adulter clericus in sacris constitutus sit, quia justus dolor permittens punitionem marito, per qualitatem clericatus non mitigatur, & sic ab æquitate canonica similis vindicta impunè toleratur, cap. si verò 3. de sent. excomm. ubi communiter Doctores Ant. Gomez, in d. l. 80. Tauri num. 55. Jul. Clar. in §. homicidium n. 48. & §. fin. quest. 77. n. 11. Farin. de quest. 121. num. 73. Did. Perez in l. 4. gloss. su. hija, tit. 13. lib. 8. ordin. Ceval. com. contr. com. quest. 833. n. 30. Hentriquez in summa lib. 12. c. 14. §. 1. lit. E. Molin. de just. & jur. tract. 3. disput. 7. n. 3. & disp. 55. n. 6. Sayrus de censur. lib. 3. c. 17. n. 23. P. Suarez de censur. disput. 22. sect. 1. n. 33. Intrigliol. de cas. conscient. cent. 1. cas. 9. n. 18. Carol. de Grass. de effect. clericat. effect. 9. n. 186. Bonacin. de censur. disp. 2. q. 4. punct. 4. n. 5. Coninch. de sacra. disput. 15. num. 194. Belletus disquis. cleric. tit. de favor. cler. can. §. 2. num. 9. Layman. lib. 1. moral. tract. 5. part. 2. cap. 5. n. 8. vers. 4. Homobon. in respons. quest. moral. part. 4. respons. 29. Augustin. Barbosa in collect. ad c. si quis suadente 17. quest. 4. num. 59. & ad d. cap. si vero, num. 6. Caball. d. cas. 300. num. 42. Lezan tom. 2. moral. verb. clericus, num. 9. vers. septimus, Castro Palao tom. 6. moral. tract. 3. punct. 23. §. 3. num. 13. Thomas del Bene tom. 1. cap. 2. dub. 4. sect. 17. n. 32. & sic communiter tenent omnes scribentes.

16 At difficultas in eo versabatur, an sufficienter constaret de apprehensione in adulterio, ita ut maritus excusaretur ab omni pœna? In quo articulo cum adulterium sit difficillimæ probationis, ita ut per directum probari non possit, solum conjecturis, & præsumptionibus probatur, l. consensu, §. super plagis, Cod. de repud. cap. tertio loco de probat. cap. preserea d. cresibus, c. litteris, de præsumpt. docent Bartol. in l. 2. §. fin. ad leg. Jul. de adulter. Hieron. Grat. resp. 115. num. 11. & 12. Joan. Baptist. Ferrer. conf.

389. n. 6. Abbas in cap. fin. de adulter. n. 1. Jason. in l. non dubium, num. 32. & 34. Cod. de legib. Roland. conf. 34. num. 6. vol. 1. Montalvus in l. 6. verb. la pœda mator, tit. 4. lib. 4. for. legum. Gregor Lopez in leg. 1. tit. 14. part. 3. gloss. 1. in fin. Flamin. Paris. de confid. benefical. quest. 71. num. 20. Marin. Grammat. ad decis. 2. num. 7. Vivius decis. 147. num. 2. Giurba consil. 37. num. 12. Mascard. de probat. lib. 1. conclus. 57. num. 3. Joan. Anton. de Nigr. ad cap. Neapol. rub. 260. de fin. dicit. official. num. 17. Valenzuel. consil. 28. num. 20. & consil. 109. num. 20. Ciardin. controver. forens. tom. 2. cap. 174. num. 10. cum segg. Franc. Maraytom. 1. decis. 514. num. 14. & decis. 899. num. 10. August. Barbosa in collect. dicit. c. litteris, num. 8. Videndum est an in nostra specie adsint sufficientia indicia ad comprobationem? Ad quod obtinendum expendenda sunt verba Textus capitalis in hac materia dicit. cap. litteris, ibi: *vidisse solum cum sola, nudum cum nuda, in eodem lecto jacentem, ea, ut crederetur, intentione, ut eam cognosceret carnaliter, videbantur in abditis secretis locis, & latebris ad hoc commodis & horis electis.* Quæ docent violentam præsumptionem, seu veriùs legitimam probationem, ex his resultat, ut omnes Doctores tenent: sed non requiritur quod omnia concurrant copulative, quia sunt aliqua quæ simul cum aliis stare non possunt: nudus cum nuda, solus cum sola, in lecto jacentes bene concurrunt; sed jacere in lecto, & esse in multis locis, & latebris minimè; tum, quia lectus in cubiculo apponitur, non autem in abditis, & latebris; tum quia qui jacet in lecto nequenter in multis locis secretis videtur, & quando requisita per dispositionem simul stare non possunt; alternative posita censentur, non copulative: probant pluribus Cyriacus in decis. post. controversi. 174. num. 3. tom. 1. Fufar. de substitut. quest. 445. num. 11. & Augustin. Barbol. dicit. usu freq. 110. num. 25. Quod & suadet contextura loquendi; nam verbum *vidisse* repetitum repetitur deinde, ibi: *viderunt*, ex quo colligitur aperte diversis casus appositos fuisse discretivè per Pontificem, nempe quando nudus cum nuda, solus cum sola visi fuerunt in eodem lecto jacentes; & quando solus cum sola visus fuit in

in secretis locis; & latebris ad Venerem commodis, Ex quibus sequitur, quod ex sola apprehensione in similibus locis resultat illa præsumptio juris violenta quæ probationem facit, ut docent Menochius lib. 5. præsumpt. 41. n. 11. Farinac. d. quest. 136. n. 148. Barbol. in collect. d. c. litteris n. 5. Et ex eo quod viii sint in locis obscuris & suspectis, Farinac. dicit. quest. 136. num. 156. Covarruy. de sponsal. 2. part. §. 6. num. 3. Suarez de censur. ubi prox. §. 5. num. 37. Bonacina. d. num. 5. vers. rogabis 2. Barbol. in d. cap. litteris, num. 6. & in cap. si quis suadente, num. 60. Thom. del Benc. d. sect. 17. n. 34. & hora ad hoc electa, undecima nempe noctis, quæ de se sola est sufficiens ad præsumendam copulam Mascard. de probat. conclus. 312. n. 19. Farin. d. g. 136. n. 190. Barbol. in d. c. litteris, n. 73. Hæc omnia concurrerant in nostra specie: ob quod concludendum videbatur verificari requisita in d. c. litteris, contenta, ut adulterium censeretur probatum.

24 Quæ quidem procedunt de jure communi, & de jure Hispano clariùs comprobantur, quia per l. 2. stili, dum agitur de probatione adulterii ad puniendum reos illius delicti, sic dicitur: *en pleito de adulterio, muguer no los fallen solos en uno, e desandos, mas fallando los en la casa escondidos: seyendo infamados ambos deste pecado cumple para ser probado*, ita ut ex hoc jure correctæ sit apud nos dispositio dicit. cap. litteris; nam ad probandum plene adulterium, etiam si non reperitur nudus cum nuda, simul jacentes ex eo quod reperti sint absconditi, in domo concurrente diffamatione, habetur adulterium uti plene probatum, ad effectum imponendi pœnam ordinariam; quam conclusionem exornat Christoph. de Paz. in d. l. 32. sebol. 3. & ante eum docuerunt Bart. in l. 2. ff. d. furt. Bald. in l. n. n. hoc, c. unde cognat. & conf. 427. in princ. lib. 5. Socin. conf. 32. n. 16. Mascard. concl. 810. num. 11. Menoch. de præf. lib. 5. præf. 41. num. 11. Ant. Gomez in d. 80. numero 56. Valenz. conf. 28. n. 4. cum segg. Sed de jure minor probatio sufficit excipiendum, & probandam defensionem, ut docent Ant. Gomez in d. l. 80. n. 27. Guazzin. defens. 29. cap. 3. per tot. Ant. Matthæus d. lib. 48. ff. tit. 15. c. 7. n. 2. apud quos plura & plures: ergo in nostra specie superabundabat probatio

cum non tractaretur de probando adulterio per viam actionis, sive ad effectum puniendi, sed solum per viam exceptionis ad excusandum maritum.

Quod perspicuum sit animadvertis specialiter circumstantiis apprehensionis ex actis resultantibus. Nempe locus abditus, & secretus, hoc est area subdialis sive impluvium intimum domus ipsi orto contiguum, ex quo turpitudinis præsumptio vehementer oritur. Dixerat Baldus d. conf. 427. n. 3. ibi: *item ratione præsumpte turpitudinis, nam turpe, & infame est masculum, & feminam in locis abditis esse, & si quaratur, amice ad quid venisti non est bona excusatio, nisi quod ierit ad male faciendum*, sequitur Far. d. g. 136. n. 156.

Solus cum sola. Solitudo enim, & sexuum diversitas vehementer instat ad præsumendum Veneris opus. Bartol. d. l. 2. ff. de furt. & in d. l. non hoc. Cod. unde vi, Mascard. dicit. concl. 810. n. 110. Menoch. d. præf. 41. n. 11. Far. d. g. 136. n. 143. Nocturno tempore, intempestivum, ut 28 dixerat Virgil. 3. Æneid.

Cum superum lumen nox intempesta tenebat.

quo Pat. Cerda ait: *intempesta, quasi intempesta & inactiosa dicitur*, & latius i. Georgicor. vers. 245. num. 20. & ad nil aptum nisi ad malum, Baldus dicit. conf. 427. num. 3. ibi: *secundo videtur certum quod ista mulier est suspectissima ratione temporis, quia tenebra noctis aptiores sunt*, ut in l. 1. de ventr. inspiciend. juxta illud: *nocte vagatur adulter*. Alciat. respons. 268. num. 2. Menoch. d. præsumpt. 41. num. 21. & sequent. Farinac. d. quest. 136. num. 147. & 190. Valenzuel. conf. 28. num. 22. Giurba conf. 37. num. 12. nec mirum, cum nox mater scelerum omnium sit. Langleus Semestr. tract. l. 4. cap. 4. in princ. explicat Martin. del Rio disquis. magicar. lib. 6. cap. 2. section. 1. q. 1. num. 7. ex quibus videbatur hora ad maleficium electa, ut dixit Pontifex in d. cap. litteris, quia in his nocturnis horis neque pudor est, neque mendacia dignoscuntur, neque vitia discerni possunt, sic Ovidius de art. amand. lib. 1.

Nocte latent mendacia, vitioque ignoscunt omni. Nil illi obstat murtum, & lib. 1. amor. eleg. 6.

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadet;

Ille pudore vacat, Liber amoreque metu.

ita ut dicere fas sit, electam hanc horam fuisse, quia in ætate plus solito feminæ Veneris avidiores reddantur; pluribus Tiraquell. in l. 9. connub. n. 125. auramque nocturnam quærebant ad illecebras, quia eo in tempore, ut dixit Virgil. 7. Æneid.

Aspirant auræ in noctem.
cum sol ferventioribus radiis auras con-
quiescere faciat. Ut ex Aristotel. probat
P. Cerda *ibid.* n. 11. quæ quantum op-
portuna sint ad Venerem nemo est qui
nesciat; nam ut dixerat Ovid. d. lib. 2. de
art. amand.

29 *Mulciber obscuro lectum circæque, su-
perque
Disponit laqueos: lumina fallit opus.
Januis clausis, quod de per se indicium
facit, Farin. d. g. 136. n. 144. & 147. Ovid.
d. lib. 2.*

*Conscius ecce duos accepit lectus amantes,
Ad thalami clausas Musa resiste foras.*
Cui adaptari possunt cuncta quæ de
clandestinis allocutionibus cum iudice
cumulat Langleus *semestr. lib. 2. cap. 1.*
vers. sunt & qui justam: quo probat hæc
semper suspecta reddi: docent Hostien-
sis in *dist. cap. litteris, n. 3.* Joan. Andræas
ibid. Lucas de Pesi. in l. quemadmodum, C.
de agri cens.

30 *Marito absente, quod in causa esse
solet, ut mulier facilius in libidinem
cadat, Abbas in cap. at si clerici, de judic.
Gregor. Lopez in præm. tit. 17. part. 7.
quo elegantissimum Divi Ambrosii lo-
cum ad rem expendit. Nec dissentit
Ovid. qui eod. lib. 2. ait:*

*Quis stupor hic Menelaus fuit? tu solus
abibas*

Isdem sub rectis hospes & uxor erant.
Bene Tiraquell. in d. l. 9. connub. n. 122.
cum segg. quo plurima exempla inhon-
estarum foeminarum absentibus maritis
recenset.

31 *Clericus habitu indecenti. & armis quod
maluit arguit, c. d. audientia 25. de sent.
excom. l. 18. tit. 9. part. 7. l. 3. tit. 9. part. 1.
& ibi Gregor. Lopez l. 13. & 15. tit. 3.
lib. 1. ordin. ubi Didacus Perez l. 9. tit. 3.
& l. 2. tit. 4. lib. 1. recopilat. & ibi Azeve-
do, pluribus Barbof. in d. c. in audientia
per tot.*

32 *Nudis pedibus. Illa, quælibet enim nu-
ditas mulierum adeo libidinem irritat,
ut rejectis contemptisque naturæ ju-
risque legibus, nulla generis, affinitatis-
que ratione habita, ad infandam in-
concessamque Venerem impellat. La-
tissimè Tiraqu. in l. 4. connub. n. 12. & 13.*

indèque indicium adulterii est, ut pro-
bant Mascard. *conclus. 57. num. 4. & 5.*
Farin. *dist. quest. 136. num. 165.* ex qui-
bus apparebat ad nil aliud convenisse,
nisi ad malum cum ea hora eo habitu,
eoque loco, neque à feminis pudicis
viri recipiantur, neque incredibile, aut
verisimile esse poterat ad aliud ea for-
ma convenisse.

Neque ex eo quod Clericus esset 33
hæc exclusa remanserunt: quia Cleri-
ci per susceptionem Ordinis non exiunt
passiones humanas, præsertim quan-
do juvenes sunt, & perfectionem status
moribus non prosequuntur, & sic con-
tradictum Gloss. in *dist. cap. absit. n.*
quest. 3. docuerunt Abbas in *cap. 1. de
Cleric. non resid. Felin in cap. præterea
de testibus, num. 31.* Polydor. Ripa de
tempor. nocturn. cap. 36. n. 6. & 8. Mas-
card. *conclus. 59. num. 16.* Menoch. d. *presf.*
41. numero 19. & 20. Bernard. Diaz. in
prax. cap. 85. Grass. de *effect. Clericat.*
effect. 32. num. 4. Giardin. *dist. cap. 174.
n. 20.* Farin. *dist. quest. 136. num. 203. qui
num. 204.* prudenter notat, quod in his 34
inspicienda est conditio personarum.
Nam si aliquis esset senectute gravatus,
deformis corpore, valerudinarius, aut
probatæ vitæ, vel pudicitie, exclusa
præsumptio remaneret: at si uterque,
ut in hoc casu, esset juvenilis æta-
tis, decori aspectus, atque vitæ suspec-
tæ, præsumptionis vis augebitur, at-
que exclusio ex clericatu procedens 35
elisa remanebit, cum omnes Cleri-
ci non sint quales esse debent, ut tra-
dit Grass. *dist. effect. 34. numero 4.* imò
ratione statûs, si suspecti aliquo modo
sint, debent abstinere à communicatio-
ne foeminarum, quamvis matres, & so-
rores sint, cum inventi aliquando sint,
qui diabolica suggestione incestus &
stupra commiserint, *cap. 1. de cohabit. cle-
ricor. Menoch. dist. lib. 5. presf. 17. num. 9.*
aliis relatis Barbofa in *collect. ad d. cap. 1.
num. 4.*

Ratione sanguinis conjunctionis 36
in nostra specie multò minus, quia
Textus superius adducti numero 5. lo-
quuntur de consanguinitate in arctio-
ribus gradibus, quod non verificabatur
in hoc casu; cum solum probaretur
maritum, & Clericum affinitate con-
iunctos esse in gradu remoto, & sic de-
ficiat foedus naturale inter eum &
uxorem, quod repugnaret vehemènti
præsumptioni adulterii, juxta Textum

in d. l. eum qui probabilem, C. de Episcop.
& Cleric. ut aliis congestis docet Farin.
d. *quest. 136. num. 208.* imò in d. c. *litte-
ris*, contrarium habetur, cum in specie
illius Textus consanguinei essent illi,
de quibus dubitabatur apud Pontificem
an commiserint adulterium, & tamen
decisum fuit probatum ex ea præsum-
ptione esse: & quæ diximus cum Mèno-
chio, Barbofa & aliis, n. 35. clarè convin-
cunt etiam in foeminis consanguineis
in primo gradu incestus & stupra con-
tingisse.

37 Neque alia causa apparebat ad hoc
erimen patrandum, præter adulterium.
Nam inimicitia quæ dicebatur inter-
posita inter maritum & occisum, orta
ex ratiociniis bonorum Gregorii Zarque-
la, aut ex conjugio Mariæ Vecino, in-
fluere poterat in necè Clerici, non au-
tem in vulneribus uxoris quam attinge-
re non poterat similis inimicitia. Causa
enim delicti cessante, cessat omnis de-
lictæ præsumptio, pluribus Farin. g. 50. n. 3.

38 *& qu. 52. n. 150. cum segg.* Causa enim
semper est effectui correspondiva, ex le-
vi enim causa nemo præsumitur delin-
quere, Giurba, *const. 26. num. 28.* & sic
ex illis levioribus causis non est præsu-
mendum clericum occisum, neque ex
eis poterat præsumi uxorem lethalter
vulneratam tot pugionis ictibus, cum ad
eam nulla ex dictis causis pertinuisset;
& sic quaerenda est causa gravis quæ
ad utrumque pertineat: hæc non potuit
esse nisi adulterium; ergo ratione illius
patrata fuisse etimina dicendum est. Et
si demus omnes has causas concurrere,
nemo negavit graviorem causam esse
hanc quam illæ erant: sed in concursu
causarum gravior attendenda est, tan-
quam procedens à graviori injuria, ut
probat Farin. *quest. 49. n. 116. cum segg.*
ergo ratione adulterii necem & vulne-
ra patrata fuisse conspicuum est.

39 Neque ex eo quod uxor occisa, cum
effectus non fuisset extra terminos legis
permitterentis reperiri, asserendum erat.
Quia licet per eam requiratur executio
instantanea in utrumque, non tamen
ex defectu consummationis poena venit
apponenda: quia occidens adulterum,
& uxorem vulnerans lethalter, ita ut
deprehendatur animum habuisse occi-
dendi, legis dispositionem observat, &
nihil ei imputari potest ex eo, quod
eventus aliter se habeat, ut probat ex-
40

41 *pressè Text. in l. nihil. 32. ff. ad leg. Jul.*
de adulter. ibi: quod si altero occiso, alter
vulneratus fuerit, verbis quidem legis non
liberatur; sed Divus Marcus, & Commo-
dus rescripserunt impunitatem ei concedi,
quia licet interempto adultero, mulier su-
pervixerit, post tam gravia vulnera, quæ ei
pater inflixerat, magis fato, quam volunta-
te ejus servata est, quia lex parem in eos
qui deprehensi sunt indignationem exigit,
& securitatem requirit: sic tenuit per
hunc Textum, Ant. Gomez, in d. l. 80.
n. 50. *vers. Veruntamen, quem secuti fue-
runt Azevedo, in d. l. 3. n. 18.* Cabal. d.
cas. 300. n. 27. Eliseus Danza, in pugna
Doctor. tit. de adulter. num. 25. cum segg.
Thoro, in *compend. decis. tom. 4. verb.
maritus qui uxorem inventam, quæ qui-
dem Textualis dispositio in terminis
est, nam licet consultus de Patre loquat-
ur; cum per leges Hispanicas idem
concedatur marito, ac per jus commune
patri concedebatur, dispositum quoad
hunc, quoad illum inter nos pariter dis-
positum est.*

Tandem ex eo quod maritus non so-
lus, sed Emanuele Fernandez, frater
comitante hæc passisset, puniendus
non erat, quia in his casibus marito
permittitur convocare consanguineos
& affines, ut securius vindictam conse-
quatur, si forte timeat de persona occi-
denda: ut docent Castren. in l. *relectio-
nis*, num. 4. ff. *comm. prædior. Socia. jun.
conf. 43. n. 12. lib. 2. Patil. conf. 154. n. 7.
& 16. lib. 4. Anton. Gomez, in d. l. 80.
n. 62.* Caball. d. cas. 300. n. 59. & in no-
stra specie cum maritus adolescens ad-
huc reperiretur corpore invalidus, vi-
ribus impar; occisus verò provecioris
ætatis, atque validior, vereci præden-
ter poterat ne in eum insurgeret, & su-
peraret, quod exitus comprobaverat: nam
penè suffocatus ab ipso fuit, & nisi fra-
ter opitularetur, absque dubio periret:
erat quippe occisus armatus sulfureo
instrumento, quo Emanuelem vulnera-
vit, ita ut nihil intentatum reliquisset
ad defensam, quam consequutus fuisset
utique, si maritus solus aggressor fuisset.

42
43
44
Ex his clarè sequabatur reum absol-
vendum fore ratione homicidii, sacrile-
gii, & patricidii. Ratione verò prodi-
tionis sive infidiamum, pariter absolven-
dum videbatur juxta Text. in l. 1. ff. de
prevaricator. Burgos de Paz. *conf. 22. n. 19.*
Gutierr. lib. 1. *practicar. q. 2.* Azeve-
do in l. tit. 23. lib. 8. *recopil. Gratian.*
discept.

- discept. for. cap. 619. num. 23. Ant. Gomez d. tom. 3. c. 3. num. 5. vers. advertendum tamen. Guazzin. defens. 1. cap. 38. num. 4.
- 45 Giurb. conf. 60. num. 4. Qui omnes tenent quod data inimicitia capitali, proditio intervenire nequit, praesertim si occidatur inimicus eo modo quo se defendere possit, juxta decisionem Textus, in l. 7. tit. 7. lib. 8. ordin. cum aliis iuribus adductis per Ant. Gomez. ubi proximè. In nostra enim specie de inimicitia non dubitabatur, ratione adulterii, quam clericus non ignorabat cum per maritum repertus fuisset antecedenter in proprio cubili absconditus: neque quod occisus fuisset eo modo quo se poterat defendere, prout fecit, maritum suffocare conando, & Emanuelem ictu arcabuffi vulnerando.
- 46 At re maturius in Aula perpenfa iudicatum fuit maritum nimis dolose operatum fuisse, absentiam simulando, fratrem secum ducendo, atque armis prohibitis necando, quia solum ex usu armorum igneorum delictum redditur infidiosum apud nos ex Text. in d. l. 15. tit. 23. lib. 8. recopil. ut docet Azevedo, ibidem. Et sic decisum fuit propter hunc excessum condemnandum fore in poenam exilii per quadriennium, & ad solvendum duos mille ducatos: sententia diei 29. Februarii anni 1664. quae in gradu supplicationis fuit confirmata die 3. Aprilis, subsequens eiusdem anni: Actuarius Dominico Lopez de la Serra.

CONTROVERSIA XII.

De Poena debita Marito Uxorem adulteram occidenti ex intervallo.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species proponitur.
- 2 Justus dolor est causa excusandi maritum à poena, quando uxorem adulteram necat.
- 3 Jura omnia ad excusationem mariti requirunt apprehensionem in adulterio.
- 4 In Patre idem cautum reperitur per leges.
- 5 Maritus aliter quam deprehensam in adulterio occidens an poena ordinaria teneatur.

- 6 Doctores affirmativam sententiam tenentes enumerantur.
- 7 Contraria sententia uti aequior & benignior sequenda.
- 8 L. si uxor 13. §. 2. ff. ad leg. Jul. de adulter. expenditur.
- 9 L. Divus Adrianus, §. ff. ad leg. Pompei de parricid. expenditur.
- 10 Solorçani interpretatio exploditur.
- 11 Latronis poena qua fit de jure.
- 12 L. si adulterium, §. Imperator. ff. ad leg. Jul. de adulter. expenditur.
- 13 Justus dolor pariter premit cor viri prohi, quando cerio percipit adulterium uxoris, ac quando repertam vidit in ipsa turpitudine.
- 14 Dolor ex adulterio marito resultans non finit eum in plenitudine intellectus.
- 15 Deprehensa in adulterio dicitur uxor confessa vel convicta.
- 16 Apprehensio quando requiratur in flagranti.
- 17 Marito species iudicii commissa est per legem permittentem adulterium vindicare.
- 18 De jure Hispano facilius hoc procedunt, cum amplior licentia concessa marito sit quam de jure communi.
- 19 Licentia concessa per jus Hispanum marito amplior est atque patri concessa.
- 20 Apprehensio requisita per leges novissimas Hispania, procedit quoad plenam excusationem.
- 21 Doctores benigniorem sententiam amplectentes enumerantur.
- 22 Farinacius contrariae opinionis acerrimus sectator fatetur vim justis doloris, ac sermè in hanc partem inclinat.
- 23 Dolor in marito ex adulterio resultans justus dicitur, quia per legem sub poena imperatur.
- 24 Doloris iustitatio non est dissimilis ex adulterio aliter percepto, quam ex apprehensione.
- 25 Maritus punitur adulterium dissimulans.
- 26 Maritus accusans uxorem de adulterio ridiculus fit.
- 27 Maritus occidens uxorem adulteram ex intervallo, si poena ordinaria teneretur, illaqueatus remansisset.
- 28 Incontinenti ferri dicitur, quod fit eo ipso quo quis potest.
- 29 Praxis communior maritum à poena ordinaria excusat.

30 Decisiones. Aula hanc praxim comprobantes.

DV M Franciscus Palomeque absens esset, Maria de Odo-fa uxor jam de adulterio suspecta, domum mariti bonis mobilibus expoliando, cum adulterio aufugit; Demùm apparuit per Iudicem ordinarium Ecclesiasticum per sequestrum tradita amico, ut dicebatur, adulteri ipsius, in ejus domum die 13. Augusti anni 1667. maritus penetravit, & instrumenti manualis ictu necavit uxorem, fugam arripuit aliquibus amicis ad hoc convocatis associantibus; sed paucissimis diebus elapsis, me jubente, captus fuit, & disceptabatur qua poena puniendus esset?

- 2 Per accusatores dicebatur quod tota ratio mitigandi poenam in marito uxorem necante, dimanat ex justo dolore orto ex apprehensione in ipsa adulterii turpitudine, ut expressè probatur ex omnibus legibus, quae ad hoc adduci per Doctores solent. Nam omnis legibus Solonis & Draconis, Platonis, Romuli, & duodecim tabularum de quibus verba fecimus *Controvers. praeced. num. 3. cum segg.* quibus hoc cautum reperitur; in l. si adulterium cum incestu 38. §. Imperator, ff. ad leg. Jul. de adult. haec verba habentur ibi: Si maritus uxorem in adulterio deprehensam impetu doloris interfecerit. in l. marito 24. ff. eodem, ibi: ut liceat viro deprehensam domi sua non etiam socii, uxoris sua occidere, in l. 1. §. fin. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. ibi: sed & in eum qui uxorem deprehensam in adulterio occidit: in l. si quis in gravi 3. §. si tamen maritus, ff. ad Syllan. ibi: si tamen maritus in adulterio deprehensam occidat quia ignoscitur ei: in l. Gracchus 4. C. ad leg. Jul. de Adulter. ibi: Gracchus quem Numerius in adulterio deprehensum interfecit. Quae non solum in marito, verum etiam in patre statuta per leges reperiuntur; nam licet facilius jura ei concedant potestatem interimendi filiam adulteram. Text. in l. patri 20. ff. eodem, tamen requirunt qualitatè apprehensionis, ut expressè dixit Ulpianus, in l. quod ait lex 23. in princ. ff. eodem, ibi: Quod ait lex in filia, adulterum deprehenderit, non otiosum videtur: voluit enim ita demum hanc potestatem patri competere, si in ipsa turpitudine filiam de adulterio deprehendat; Labeo quoque ita probat, &

Pomponius scripsit in ipsis rebus veneris deprehensam occidi. Ex quibus enixa legis voluntas dicitur, per quam ad excusationem, tam in patre, quam in viro necessaria apprehensio in ipsa turpitudine est.

Quare plures fuerunt Doctores qui docuerunt maritum aliter quam deprehensam occidentem poena ordinaria puniendum: sic Angel. de malef. verb. che hai adulterato la mia Dona, num. 1. vers. multo minus, Tiraquell. de poen. temper. cas. 1. num. 3. vers. ideò si maritus, Carrer. in prax. crim. tract. 3. de homicid. & assass. §. non excusatur, num. 3. Jul. Clar. in §. homicidium, numer. 48. & §. fin. quest. 89. in fin. prin. Ant. Gomez, in d. l. 80. Taur. num. 58. Petr. Gregor. syntag. jur. lib. 36. cap. 6. n. 9. Cinus in d. l. Gracchus, num. 7. vers. si de eo, Felin. in cap. Eccles. Sanctae Mariae, num. 43. de confit. For Garcia in tract. de ultim. fin. jur. Canon. & civil. numero 175. Covarr. in epit. jur. Can. 2. p. cap. 7. §. 7. n. 3. Farinac. quest. 121. n. 111. cum segg. conf. 8. n. 4. & conf. 141. per tot. Solorçan. de parricid. lib. 2. cap. fin. in fin.

Sed contraria sententia sicut aequior, & benignior; receptor, & communior est tam apud Doctores, quam in supremis Senatibus totius ferè Europae, quae pluribus iuribus comprobatur. Ad cuius verificationem in primis expendo Textum, in l. si uxor 13. §. 2. ff. Ad leg. Jul. de adulter. quo Ulpianus sic ait: Sed & in ea uxore maritus vindicare adulterium potest quae vulgaris fuerit. Quo in Textu licet in principio loquatur Consultus de jure accusandi, in hoc §. & sequenti de vindicta loquitur: & notat Dionysii Gothfrid. ibid. verbo vel vulgaris, intelligendum esse, quae corpore quatum fecit. Sed haec vindicta non procedit, neque procedere potest ex apprehensione, cum quatum corporis facere non perficiatur per unicum actum, neque ex eo quavis mulier legitur fieri potest: ergo justo dolore interveniente maritus poterit vindicare suam injuriam in non deprehensam.

Secundo, expendo Text. in d. l. Divus Adrianus, §. ff. ad leg. Pompei de parricid. quo Textu Macer imprimis supponit adulterium de praeterito, licet imperfecto, ibi: qui novercam adulterabat: quod juxta Grammaticorum praeccepta sonat actum praeteritum cum continuatione, & hoc esse non potest apprehen-